

VI.

Parcius ista, dicat aliquis, ingredi modo templa & sacella Pontificiorum, ibi certè nil, nisi pietatem & cultum DEI redolens percipies!

VII.

Dictis conciliabimus fidem. Quod ut fiat, non quidem impresentiarum, quid Pontificii à Judæis, quid ab hæreticis mutuò acceperint, quod tamen cum Jæw absq; ullo sudore præstare possemus, demonstrabimus; sed tantum quid ex Ethnicorum errorum sacculo extorserint, aperiemus. Adsis nobis ô mellissime Jesu Spiritu tuo, illoq; ad Tibi placentem, nobis exoptatam metam quo perventiamus, largiaris.

ELABORATIO CON- FORMITATUM.

VIII.

1. Sicut Ethnici in initio quidem imagines suas, nullius alterius usus gratia, quàm ut memoriam, de patria & Republica benè meritorum, & ea propter gloriosè demortuorum virorum, nunquam ex animo suo elabi paterentur, instituerunt, quæ tamen progressu temporis ad idololatriã adhibitæ, & cultui divino cõsecratæ fuerunt.

Athenienses enim tyrannicidis Harmodio & Aristogitoni imagines publice statuisse leguntur. Plin. l. 34. c. 4. ubi addit: Effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri causa perpetuitatem merentium.

Lacedemonii his, qui in re militari fortia gesserunt facinora, statuas & columnas pariter cum elogis post obitum erexerunt: rege vero defuncto ipsius simulachrum, ita, ut quasi vivus appareret, in thoro, purpura & auro instrato effinxerunt. Alex. ab Alex. l. 3. c. 7.

Alexander Magnus centum viginti equites, qui in campis Adrahtais ceciderunt, equestribus statuis ornavit.

Sic Athenienses Miltiadis, ob egregiam in pugna Marathonia navatam operam, imaginem, in publica porticu posuerunt, Phocioni & Socrati injustè damnatis post mortem statuas erexerunt.

Roma-